

HOOFDSTUK 3 AANLEIDING TOT DE TWEEDE PUNISCHE OORLOG (21.1-18)

2. HANNIBALS PERSOONLIJKHEID (21.4.1-10)

a. In Spanje trekt Hannibal de aandacht van het gehele leger (21.4.1-4)

- 1 Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu
omnem exercitum in se convertit; Hamilcarem iuvenem
redditum sibi veteres milites credere; eundem vigorem
in voltu vimque in oculis, habitum oris lineamentaue
5 intueri. Dein brevi effecit ut pater in se minimum
momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam
ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque
imperandum, habilius fuit. Itaque haud facile discerneres
utrum imperatori an exercitui carior esset; neque
10 Hasdrubal alium quemquam praeficere malle, ubi quid
fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio
duce plus confidere aut audere.

b. Hannibals deugden (21.4.5-8)

- 1 Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum
consilii inter ipsa pericula erat. Nullo labore aut corpus
fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris
patientia par; cibi potionisque desiderio naturali, non
5 voluptate modus finitus; vigiliarum somnique nec die
nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis rebus
superesset quieti datum; ea neque molli strato neque
silentio accersita; multi saepe militari sagulo opertum
humi iacentem inter custodias stationesque militum
10 conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens;
arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque
idem longe primus erat; princeps in proelium ibat,
ultimus conserto proelio excedebat.

c. Hannibals ondeugden (21.4.9-10)

- 1 Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant,
inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica,
nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum ius
iurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque
- 5 vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit,
nulla re, quae agenda videndaque magno futuro duci
esset, praetermissa.

HOOFDSTUK 4 DE TOCHT OVER DE ALPEN (21.32-38)

2. HANNIBAL REDT ZICH UIT EEN HINDERLAAG (21.34)

a. Hannibal wordt benaderd door afgezanten van de bergbewoners (21.34.1-3)

- 1 Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut
inter montanos, populum. Ibi non bello aperto sed suis
artibus, fraude et insidiis, est prope circumventus.
Magno natu principes castellorum oratores ad Poenum
5 veniunt, alienis malis, utili exemplo, doctos memorantes
amicitiam malle quam vim experiri Poenorum; itaque
oboedienter imperata facturos; commeatum itinerisque
duces et ad fidem promissorum obsides acciperet.

b. Hannibal volgt de gidsen van de bergbewoners (21.34.4)

- 1 Hannibal nec temere credendum nec †aspernandos†
<ratus>, ne repudiati aperte hostes fierent, benigne cum
respondisset, obsidibus, quos dabant, acceptis et
commeatu, quem in viam ipsi detulerant, usus,
5 nequaquam ut inter pacatos composito agmine duces
eorum sequitur.

c. Hannibal wordt aangevallen (21.34.5-7)

- 1 Primum agmen elephanti et equites erant; ipse post
cum robore peditum circumspectans sollicitus omnia
incedebat. Ubi in angustiore viam et ex parte altera
subiectam iugo insuper imminenti ventum est, undique
5 ex insidiis barbari a fronte ab tergo coorti, comminus
eminus petunt, saxa ingentia in agmen devolvunt.
Maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa
peditum acies haud dubium fecit quin, nisi firmata
extrema agminis fuissent, ingens in eo saltu accipienda
10 clades fuerit.

d. De colonne wordt in tweeën opgebroken (21.34.8-9)

- 1 Tunc quoque ad extremum periculi ac prope perniciem
ventum est; nam dum cunctatur Hannibal demittere
agmen in angustias, quia non, ut ipse equitibus praesidio
erat, ita peditibus quicquam ab tergo auxilii reliquerat,
5 occursantes per obliqua montani interrupto medio
agmine viam insedere, noxque una Hannibali sine
equitibus atque impedimentis acta est.

3. HANNIBAL TREKT DE ALPEN OVER (21.35)

a. Over de bergpas (21.35.1-3)

- 1 Postero die, iam segnius intercursantibus barbaris,
iunctae copiae saltusque haud sine clade, maiore tamen
iumentorum quam hominum pernicie, superatus. Inde
montani pauciores iam et latrocinii magis quam belli
5 more concursabant modo in primum, modo in
novissimum agmen, utcumque aut locus opportunitatem
daret aut progressi morative aliquam occasionem
fecissent. Elephanti sicut per artas [praecipites] vias
magna mora agebantur, ita tutum ab hostibus,
10 quacumque incederent, quia insuetis adeundi propius
metus erat, agmen praebebant.

b. De top van de Alpen wordt bereikt (21.35.4-5)

- 1 Nono die in iugum Alpium perventum est per invia
pleraque et errores, quos aut ducentium fraus aut, ubi
fides iis non esset, temere initae valles a coniectantibus
iter faciebant. Biduum in iugo stativa habita fessisque
5 labore ac pugnando quies data militibus; iumenta
aliquot, quae prolapsa in rupibus erant, sequendo
vestigia agminis in castra pervenere.

c. Sneeuwval (21.35.6-9)

- 1 Fessis taedio tot malorum nivis etiam casus, occidente
iam sidere Vergiliarum, ingentem terrorem adiecit.
Per omnia nive oppleta cum signis prima luce motis
segniter agmen incederet pigritiaque et desperatio in
5 omnium voltu emereret, praegressus signa Hannibal in
promunturio quodam, unde longe ac late prospectus erat,
consistere iussis militibus Italiam ostentat subiectosque
Alpinis montibus Circumpadanos campos, moeniaque
eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis
10 Romanae; cetera plana, proclivia fore; uno aut summum
altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate
habituros.

d. De afdaling begint (21.35.10-12)

- 1 Procedere inde agmen coepit iam nihil ne hostibus
quidem praeter parva furta per occasionem
temptantibus. Ceterum iter multo quam in adscensu
fuerat - ut pleraque Alpium ab Italia sicut breviora ita
- 5 arrectiora sunt - difficilior fuit; omnis enim ferme via
praeceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se ab
lapsu possent nec, qui paulum titubassent, haerere
adfecti vestigio suo, alique super alios et iumenta in
homines occiderent.

5. DE ROTSWAND WORDT BEGAANBAAR GEMAAKT (21.37)

a. De soldaten laten de rotswand barsten met vuur en azijn (21.37.1-3)

- 1 Tandem, nequiquam iumentis atque hominibus fatigatis,
castra in iugo posita, aegerrime ad id ipsum loco
purgato; tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit.
Inde ad rupem muniendam, per quam unam via esse
- 5 poterat, milites ducti, cum caedendum esset saxum,
arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque,
struem ingentem lignorum faciunt eamque, cum et vis
venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt
ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam
- 10 incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus
modicis clivos, ut non iumenta solum sed elephantii
etiam deduci possent.

b. De afdaling wordt voltooid (21.37.4-6)

- 1 Quadriduum circa rupem consumptum, iumentis prope
fame absumptis; nuda enim fere cacumina sunt et, si
quid est pabuli, obruunt nives. Inferiora vallis, apricos
quosdam colles habent rivosque prope silvas et iam
- 5 humano cultu digniora loca. Ibi iumenta in pabulum
missa et quies muniendo fessis hominibus data. Triduo
inde ad planum descensum, et iam locis mollioribus et
accolarum ingeniis.

HOOFDSTUK 5 SCIPIO SPREEKT ZIJN MANNEN TOE BIJ DE TICINUS (21.39-41)

2. DE REDEVOERING VAN SCIPIO MAIOR (21.40-41)

b. ‘Weinig Carthagers hebben de tocht overleefd’ (21.40.5-7)

- 1 Ne genus belli neve hostem ignoretis, cum iis est vobis,
 milites, pugnandum, quos terra marique priore bello
 vicistis, a quibus stipendium per viginti annos exegistis,
 a quibus capta belli praemia Siciliam ac Sardiniam
- 5 habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque
 animus, qui victoribus et victis esse solet. Nec nunc illi
 quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt, qui
 plures paene perierint quam supersint; nisi creditis, qui
 exercitu incolumi pugnam detractavere, eos duabus
- 10 partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis
 plus spei nactos esse.

c. 'De vijand is sterk verzwakt' (21.40.8-11)

- 1 At enim pauci quidem sunt, sed vigentes animis
corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis
ulla possit. Effigies immo, umbrae hominum, fame,
frigore, inluvie, squalore enecti, contusi ac debilitati
5 inter saxa rupesque; ad hoc praeusti artus, nive rigentes
nervi, membra torrida gelu, quassata fractaque arma,
claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite
pugnaturi estis; reliquias extremas hostis, non hostem
habetis, ac nihil magis vereor quam ne cui, vos cum
10 pugnaveritis, Alpes vicisse Hannibalem videantur. Sed
ita forsitan decuit, cum foederum ruptore duce ac
populo deos ipsos sine ulla humana ope committere ac
profligare bellum, nos, qui secundum deos violati
sumus, commissum ac profligatum conficere.

d. 'Ik meen wat ik zeg' (21.41.1-3)

- 1 Non vereor ne quis me haec vestri adhortandi causa
magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo adfectum
esse. Licuit in Hispaniam, provinciam meam, quo iam
profectus eram, cum exercitu ire meo, ubi et fratrem
5 consilii participem ac periculi socium haberem et
Hasdrubalem potius quam Hannibalem hostem et
minorem haud dubie molem belli; tamen, cum
praeterveherer navibus Galliae oram, ad famam huius
hostis in terram egressus, praemisso equitatu ad
10 Rhodanum movi castra.

e. 'De vijand is in een ruitergevecht verslagen' (21.41.4)

- 1 Equestri proelio, qua parte copiarum conserendi manum
fortuna data est, hostem fudi; peditum agmen, quod
in modum fugientium raptim agebatur, quia adsequi
terra non poteram, [neque] regressus ad naves [erat]
5 quanta maxime potui celeritate tanto maris terrarumque
circuitu, in radicibus prope Alpium huic timendo hosti
obvius fui.

f. ‘Zijn de Carthagers plotseling sterker geworden?’ (21.41.5-7)

- 1 Utrum, cum declinare certamen, improvidus incidisse
videor, an occurrere in vestigiis eius, lacescere ac trahere
ad decernendum? Experiri iuvat utrum alios repente
Carthaginienses per viginti annos terra ediderit an iidem
5 sint, qui ad Aegates pugnaverunt insulas et quos ab Eryce
duodevicenis denariis aestimatos emisistis, et utrum
Hannibal hic sit aemulus itinerum Herculis, ut ipse fert,
an vectigalis stipendiariusque et servus populi Romani a
patre relictus.

g. ‘Hannibal kan niet meer helder nadenken’ (21.41.8-9)

- 1 Quem nisi Saguntinum scelus agitare, respiceret
profecto, si non patriam victam, domum certe patremque
et foedera Hamilcaris scripta manu, qui iussus ab consule
nostro praesidium deduxit ab Eryce, qui graves impositas
5 victis Carthaginensibus leges fremens maerensque
accepit, qui decedens Sicilia stipendium populo Romano
dare pactus est.

h. 'De Carthagers zijn ondankbaar en trouweloos' (21.41.10-14)

- 1 Itaque vos ego, milites, non eo solum animo, quo
adversus alios hostes soletis, pugnare velim, sed cum
indignatione quadam atque ira, velut si servos videatis
vestros arma repente contra vos ferentes. Licuit ad
- 5 Erycem clausos ultimo supplicio humanorum, fame,
interficere; licuit victricem classem in Africam traicere
atque intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem
delere; veniam dedimus precantibus, emisimus ex
obsidione, pacem cum victis fecimus, tutelae deinde
- 10 nostrae duximus, cum Africo bello urgerentur. Pro his
impertitis furiosum iuvenem sequentes oppugnatum
patriam nostram veniunt. Atque utinam pro decore
tantum hoc vobis et non pro salute esset certamen!

i. 'De strijd gaat om het behoud van het Romeinse Rijk' (21.41.14-17)

- 1 'Non de possessione Siciliae ac Sardiniae, de quibus
quondam agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum.
Nec est alius ab tergo exercitus qui, nisi nos vincimus,
hosti obsistat, nec Alpes aliae sunt, quas dum superant,
5 comparari nova possint praesidia; hic est obstandum,
milites, velut si ante Romana moenia pugnemus.
Unusquisque se non corpus suum, sed coniugem ac
liberos parvos armis protegere putet; nec domesticas
solum agitet curas, sed identidem hoc animo reputet
10 nostras nunc intueri manus senatum populumque
Romanum: qualis nostra vis virtusque fuerit, talem
deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.'

HOOFDSTUK 6 HANNIBAL MOEDIGT ZIJN SOLDATEN AAN (21.42-44)

3. HANNIBAL MOTIVEERT ZIJN MANNEN (21.44)

a. ‘Wij zijn de aanvallers’ (21.44.1-4)

- 1 ‘Quocumque circumtuli oculos, plena omnia video
animorum ac roboris, veteranum peditem,
generosissimarum gentium equites frenatos
infrenatosque, vos socios fidelissimos fortissimosque,
5 vos, Carthaginienses, cum ob patriam, tum ob iram
iustissimam pugnatueros. Inferimus bellum infestisque
signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque
pugnaturi quam hostis, quanto maior spes, maior est
animus inferentis vim quam arcentis. Accendit praeterea
10 et stimulat animos dolor, iniuria, indignitas.

b. 'De Romeinen denken dat ze alles kunnen bepalen' (21.44.4-5)

- 1 Ad supplicium depoposcerunt me ducem primum,
deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassetis; deditos
ultimis cruciatibus adfecturi fuerunt. Crudelissima ac
superbissima gens sua omnia sui que arbitrii facit; cum
5 quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum
imponere aequum censet. Circumscribit includitque nos
terminis montium fluminumque, quos non excedamus,
neque eos, quos statuit, terminos observat:

c. 'De Romeinen willen alles van ons afpakken' (21.44.6-7)

- 1 "Ne transieris Hiberum; ne quid rei tibi sit cum
Saguntinis." Ad Hiberum est Saguntum? "Nusquam te
vestigio moveris." Parum est quod veterrimas provincias
meas, Siciliam ac Sardiniam, <ademisti?> Adimis etiam
5 Hispanias et, si inde cessero, in Africam transcendes.
<Transcendes> autem? Transcendisse dico. Duos
consules huius anni, unum in Africam, alterum in
Hispaniam miserunt. Nihil usquam nobis relictum est,
nisi quod armis vindicarimus.

d. 'Met de juiste houding hebben jullie overwonnen' (21.44.8-9)

- 1 Illis timidis et ignavis esse licet, qui respectum habent,
quos sua terra, suus ager per tuta ac pacata itinera
fugientes accipient: vobis necesse est fortibus viris esse
et, omnibus inter victoriam mortemve certa
- 5 desperatione abruptis, aut vincere aut, si fortuna
dubitabit, in proelio potius quam in fuga mortem
oppetere. Si hoc [bene fixum] omnibus destinatum in
animo est, iterum dicam, vicistis; nullum contemptu
m<ortis incitamentum> ad vincendum homini ab dis
- 10 immortalibus acrius datum est.'

HOOFDSTUK 7 HANNIBAL VRAAGT OM VERSTERKINGEN (23.11.7-13.5)

2. HANNO IS KRITISCH OVER HANNIBAL (23.12.6-13.5)

a. Himilco bespot Hanno (23.12.6-7)

- 1 Secundum haec dicta Magonis laetis omnibus, Himilco,
vir factionis Barcinae, locum Hannonis increpandi esse
ratus, 'Quid est, Hanno?' inquit; 'etiam nunc paenitet
belli suscepti adversus Romanos? Iube dedi Hannibalem;
5 veta in tam prosperis rebus grates deis immortalibus agi;
audiamus Romanum senatorem in Carthaginiensium
curia.'

b. Hanno neemt het woord (23.12.8-10)

- 1 Tum Hanno: 'Tacuissem hodie, patres conscripti, ne
quid in communi omnium gaudio minus laetum, quod
esset vobis, loquerer; nunc interroganti senatori,
paeniteatne adhuc suscepti adversus Romanos belli, si
5 reticeam, aut superbus aut obnoxius videar, quorum
alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum
suae. Respondeam' inquit 'Himilconi non desisse
paenitere me belli, neque desitutum ante invictum
vestrum imperatorem incusare, quam finitum aliqua
10 tolerabili condicione bellum videro; nec mihi pacis
antiquae desiderium ulla alia res quam pax nova finiet.

c. ‘We moeten nu een gunstige vrede sluiten’ (23.12.11-12)

- 1 Itaque ista, quae modo Mago iactavit, Himilconi
ceterisque Hannibalis satellitibus iam laeta sunt: mihi
possunt laeta esse, quia res bello bene gestae, si volumus
fortuna uti, pacem nobis aequiorem dabunt; nam si
5 praetermittimus hoc tempus, quo magis dare quam
accipere possumus videri pacem, vereor ne haec quoque
laetitia luxuriet nobis ac vana evadat.

d. ‘Wat houdt die vreugde eigenlijk in?’ (23.12.13-16)

- 1 Quae tamen nunc quoque qualis est? “Occidi exercitus
hostium; mittite milites mihi.” Quid aliud rogaes, si esses
victus? “Hostium cepi bina castra,” praedae videlicet plena
et commeatumum; “frumentum et pecuniam date.” Quid
5 aliud, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne
omnia ipse mirer - mihi quoque enim, quoniam respondi
Himilconi, interrogare ius fasque est - velim seu Himilco
seu Mago respondeat, cum ad internecionem Romani
imperii pugnatum ad Cannas sit constetque in defectione
10 totam Italiam esse, primum, ecquis Latini nominis
populus defecerit ad nos, deinde, ecquis homo ex
quinque et triginta tribubus ad Hannibalem transfugerit.’

e. 'Wij zijn eigenlijk nog niets opgeschoten' (23.12.17-13.2)

- 1 Cum utrumque Mago negasset, 'Hostium quidem ergo'
inquit 'adhuc nimis multum superest. Sed multitudo ea
quid animorum quidve spei habeat, scire velim.' Cum id
nescire Mago diceret, 'Nihil facilius scitu est' inquit.
- 5 'Ecquos legatos ad Hannibalem Romani miserunt de
pace? Ecquam denique mentionem pacis Romae factam
esse allatum ad vos est?' Cum id quoque negasset,
'Bellum igitur' inquit 'tam integrum habemus quam
habuimus, qua die Hannibal in Italiam est transgressus.'

f. 'Wij moeten geen versterkingen sturen' (23.13.3-5)

- 1 'Quam varia victoria priore [Punico] bello fuerit, plerique
qui meminerimus supersumus. Nunquam terra marique
magis prosperae res nostrae visae sunt, quam ante
consules C. Lutatium et A. Postumium fuerunt; Lutatio
- 5 et Postumio consulibus devicti ad Aegates insulas
sumus. Quod si, id quod di omen avertant, nunc quoque
fortuna aliquid variaverit, tum pacem speratis, cum
vincemur, quam nunc, cum vincimus, dat nemo? Ego, si
quis de pace consulet seu deferenda hostibus seu
- 10 accipienda, habeo quid sententiae dicam; si de iis, quae
Mago postulat, refertis, nec victoribus mitti attinere puto
et frustrantibus nos falsa atque inani spe multo minus
censeo mittenda esse.'

HOOFDSTUK 8 DE INNAME VAN TARENTUM (25.8-10)

1. ANTI-ROMEINSE INWONERS VAN TARENTUM ZOEKEN CONTACT MET HANNIBAL (25.8.1-10)

a. Dertien inwoners van Tarentum smeden een complot (25.8.1-5)

- 1 Huius atrocitas poenae duarum nobilissimarum in Italia
Graecarum civitatum animos inritavit cum publice, tum
etiam singulos privatim, ut quisque tam foede
interemptos aut propinquitate aut amicitia contingebat.
- 5 Ex iis tredecim fere nobiles iuvenes Tarentini
coniuraverunt, quorum principes Nico et Philemenus
erant. Hi priusquam aliquid moverent, conloquendum
cum Hannibale rati, nocte per speciem venandi urbe
egressi ad eum proficiscuntur; et cum haud procul
- 10 castris abessent, ceteri silva prope viam sese occuluerunt,
Nico et Philemenus progressi ad stationes
comprehensique, ultro id petentes, ad Hannibalem
deducti sunt.

b. Nico en Philemenus bij Hannibal (25.8.6)

- 1 Qui cum et causas consilii sui et, quid pararent,
exposuissent, conlaudati oneratique promissis iubentur,
ut fidem popularibus facerent, praedandi causa se
urbe egressos, pecora Carthaginiensium, quae pastum
5 propulsa essent, ad urbem agere; tuto ac sine certamine
id facturos promissum est.

c. Er worden afspraken gemaakt tussen Hannibal en de Tarentijnen (25.8.7-8)

- 1 Conspecta ea praeda iuvenum est minusque iterum
ac saepius id eos audere miraculo fuit. Congressi cum
Hannibale rursus fide sanxerunt liberos Tarentinos leges
<suas> suaque omnia habituros neque ullum vectigal
5 Poeno pensuros praesidiumve invitos recepturos;
prodita praesidia Carthaginiensium fore.

d. Philemenus gaat er 's nachts vaak op uit (25.8.9-10)

- 1 Haec ubi convenerunt, tunc vero Philemenus
consuetudinem nocte egrediundi redeundique in
urbem frequentiorem facere. Et erat venandi studio
insignis, canesque et alius apparatus sequebatur;
- 5 captumque ferme aliquid aut ab hoste ex praeparato
allatum reportans donabat aut praefecto aut custodibus
portarum; nocte maxime commeare propter metum
hostium credebant.

3. HANNIBAL TREKT TARENTUM BINNEN (25.9.8-17)

a. Hannibal rukt op in het holst van de nacht (25.9.8-10)

- 1 Hannibal concubia nocte movit. Dux Philemenus erat
cum solito captae venationis onere; ceteri proditores ea,
quae composita erant, expectabant. Convenerat autem
ut Philemenus portula adsueta venationem inferens
- 5 armatos induceret, parte alia portam Temenitida adiret
Hannibal; ea mediterranea regio est orientem spectans;
busta aliquantum intra moenia includunt.

b. Hannibal gaat de stad binnen (25.9.10-12)

- 1 Cum portae adpropinquaret, editus ex composito ignis
ab Hannibale est refulsitque idem redditum ab Nicone
signum; extinctae deinde utrimque flammae sunt.
Hannibal silentio ducebat ad portam. Nico ex improvise
- 5 adortus sopitos vigiles in cubilibus suis obruncat
portamque aperit. Hannibal cum peditum agmine
ingreditur, equites subsistere iubet, ut, quo res postulet,
occurrere libero campo possent.

c. Ook Philemenus gaat de stad binnen (25.9.13-15)

- 1 Et Philemenus portulae parte alia, qua commeare
adsuerat, adpropinquabat. Nota vox eius et familiare
iam signum cum excitasset vigilem, dicente vix sustineri
grandis bestiae onus portula aperitur. Inferentes aprum
- 5 duos iuvenes secutus ipse cum expedito venatore vigilem,
incautius miraculo magnitudinis in eos, qui ferebant,
versum, venabulo traicit. Ingressi deinde triginta fere
armati ceteros vigiles obruncant refringuntque portam
proximam et agmen sub signis confestim inrupit. Inde
- 10 cum silentio in forum ducti Hannibali sese coniunxerunt.

d. Hannibal geeft enkele bevelen (25.9.16-17)

- 1 Tum duo milia Gallorum Poenus in tres divisa partes
per urbem dimittit; Tarentinos <iis addit duces binos>;
itinera quam maxime frequentia occupari iubet, tumultu
orto Romanos passim caedi, oppidanis parci. Sed ut fieri
5 id posset, praecipit iuvenibus Tarentinis ut, ubi quem
suorum procul vidissent, quiescere ac silere ac bono
animo esse iuberent.

HOOFDSTUK 9 HANNIBAL VOOR DE POORTEN VAN ROME (26.9-11.8)

2. HANNIBAL WIL SLAG LEVEREN BIJ ROME (26.11)

a. Een geweldige stortregen barst los (26.11.1-5)

- 1 Postero die transgressus Anienem Hannibal in aciem
omnes copias eduxit; nec Flaccus consulesque certamen
detractavere. Instructis utrimque exercitibus in eius
pugnae casum, in qua urbs Roma victori praemium
5 esset, imber ingens grandine mixtus ita utramque aciem
turbavit, ut vix armis retentis in castra sese receperint,
nullius rei minore quam hostium metu. Et postero die
eodem loco acies instructas eadem tempestas diremit;
ubi recepissent se in castra, mira serenitas cum
10 tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud
Poenos versa est, auditaque vox Hannibalis fertur
potiundae sibi urbis Romae modo mentem non dari,
modo fortunam.

b. Andere redenen dat Hannibal zijn hoop verliest (26.11.5-8)

- 1 Minuere etiam spem eius duae aliae, parva magnaue,
res, magna illa quod, cum ipse ad moenia urbis Romae
armatus sederet, milites sub vexillis in supplementum
Hispaniae profectos audiit, parva autem quod per eos
5 dies eum forte agrum, in quo ipse castra haberet, venisse
nihil ob id deminuto pretio cognitum ex quodam captivo
est. Id vero adeo superbum atque indignum visum eius
soli, quod ipse bello captum possideret haberetque,
inventum Romae emptorem, ut extemplo vocato praecone
10 tabernas argentarias, quae circa forum Romanum
essent, iusserit venire. His motus ad Tutiam fluvium
castra rettulit sex milia passuum ab urbe.

HOOFDSTUK 10 SCIPIO MINOR

1. SCIPIO WORDT VERKOZEN ALS BEVELHEBBER (26.18-19)

b. Cornelius Scipio stelt zich kandidaat (26.18.6-8)

- 1 Maesta itaque civitas, prope inops consilii, comitiorum
die tamen in campum descendit; atque in magistratus
versi circumspectant ora principum aliorum alios
intuentium fremuntque adeo perditas res desperatumque
- 5 de re publica esse, ut nemo audeat in Hispaniam
imperium accipere, cum subito P. Cornelius <Publi filius
eius> qui in Hispania ceciderat, [filius] quattuor et
viginti ferme annos natus, professus se petere, in
superiore, unde conspici posset, loco constitit. In quem
- 10 postquam omnium ora conversa sunt, clamore ac favore
ominati extemplo sunt felix faustumque imperium.

c. Scipio wordt gekozen, maar er is twijfel (26.18.9-11)

- 1 Iussi deinde inire suffragium ad unum omnes non
centuriae modo, sed etiam homines P. Scipioni imperium
esse in Hispania iusserunt. Ceterum post rem actam ut
iam resederat impetus animorum ardorque, silentium
5 subito ortum et tacita cogitatio quidnam egissent;
nonne favor plus valuisset quam ratio. Aetatis maxime
paenitebat; quidam fortunam etiam domus horrebant
nomenque ex funestis duabus familiis in eas provincias,
ubi inter sepulcra patris patruique res gerendae essent,
10 proficiscentis.

d. Scipio wekt vertrouwen (26.19.1-2)

- 1 Quam ubi ab re tanto impetu acta sollicitudinem
curamque hominum animadvertit, advocata contione ita
de aetate sua imperioque mandato et bello, quod
gerundum esset, magno elatoque animo disseruit, ut
5 ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque
et impleret homines certioris spei quam quantam fides
promissi humani aut ratio ex fiducia rerum subicere solet.

e. Zijn religieuze en bijgelovige inslag (26.19.3-5)

- 1 Fuit enim Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis,
sed arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem
earum compositus, pleraque apud multitudinem aut per
nocturnas visa species aut velut divinitus mente monita
5 agens, sive et ipse capti quadam superstitione animi,
sive ut imperia consiliaque velut sorte oraculi missa sine
cunctatione exsequerentur. Ad hoc iam inde ab initio
praeparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo
die prius ullam publicam privatamque rem egit quam
10 in Capitolium iret ingressusque aedem consideret et
plerumque solus in secreto ibi tempus tereret.

f. Een slang als vader? (26.19.6-7)

- 1 Hic mos per omnem vitam servatus seu consulto seu
temere volgatae opinioni fidem apud quosdam fecit
stirpis eum divinae virum esse, rettulitque famam
in Alexandro magno prius volgatam, et vanitate et
5 fabula parem, anguis immanis concubitu conceptum, et
in cubiculo matris eius visam persaepe prodigii eius
speciem interventuque hominum evolutam repente
atque ex oculis elapsam.

g. Scipio genoot grote bewondering en vertrouwen (26.19.8-9)

- 1 His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est; quin
potius aucta arte quadam nec abnuendi tale quicquam
nec palam adfirmandi. Multa alia eiusdem generis,
alia vera, alia adsimulata, admirationis humanae in eo
- 5 iuvene excesserant modum; quibus freta tunc civitas
aetati haudquaquam maturae tantam rerum molem
tantumque imperium permisit.

HOOFDSTUK 11 DE STRIJD TEGEN HANNIBAL IN ZUID-ITALIË (27.15.9-16.9, 28.12.1-9)

2. HANNIBAL HEEFT HET MOEILIJK (28.12.1-9)

a. De Romeinen lieten dit jaar Hannibal met rust (28.12.1)

- 1 Cum Hannibale nihil eo anno rei gestum est. Nam neque
ipse se obtulit in tam recenti volnere publico privatoque
neque laccessierunt quietum Romani; tantam inesse vim,
etsi omnia alia circa eum ruerent, in uno illo duce
5 censebant.

b. Hannibal heeft het niet gemakkelijk gehad (28.12.2-5)

- 1 Ac nescio an mirabilior adversis quam secundis rebus
fuerit, quippe qui, cum in hostium terra per annos
tredecim, tam procul ab domo, varia fortuna bellum
gereret, exercitu non suo civili sed mixto ex conluvione
5 omnium gentium, quibus non lex, non mos, non lingua
communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alii
ritus, alia sacra, alii prope di essent, ita quodam uno
vinculo copulaverit eos, ut nulla nec inter ipsos nec
adversus ducem seditio exstiterit, cum et pecunia saepe
10 in stipendium et commeatus in hostium agro deesset,
quorum inopia priore Punico bello multa infanda inter
duces militesque commissa fuerant.

c. De situatie van het Carthaagse leger (28.12.6-9)

- 1 Post Hasdrubalis vero exercitum cum duce, in quibus
spes omnis reposita victoriae fuerat, deletum cedendoque
in angulum Bruttium cetera Italia concessum, cui non
videatur mirabile nullum motum in castris factum?
- 5 Nam ad cetera id quoque accesserat, ut ne alendi quidem
exercitus nisi ex Bruttio agro spes esset, qui, ut omnis
coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat; tum
magnam partem iuventutis abstractam a cultu agrorum
bellum occupaverat et mos vitio etiam insitus genti per
- 10 latrocinia militiam exercendi; nec ab domo quicquam
mittebatur, de Hispania retinenda sollicitis, tamquam
omnia prospera in Italia essent.

HOOFDSTUK 12 SCIPIO EN SOPHONIBA (30.12.3-15)

2. SCIPIO HOORT SYPHAX AAN (30.13)

a. Iedereen heeft bewondering voor Syphax (30.13.1-5)

- 1 Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis
velut ad spectaculum triumphii multitudo effusa est.
Praecedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium
Numidarum. Tum quantum quisque plurimum poterat
5 magnitudini Syphacis famaeque gentis victoriam suam
augendo addebat: illum esse regem, cuius tantum
maiestati duo potentissimi in terris tribuerint populi
Romanus Carthaginienſisque, ut Scipio imperator ſuus
ad amicitiam eius petendam relictā provincia Hispania
10 exercituque duabus quinquereſibus in Africam
navigaverit, Hasdrubal Poenorum imperator non ipse
modo ad eum in regnum venerit ſed etiam filiam ei
nuptum dederit.

b. Syphax was Masinissa de baas (30.13.5-7)

- 1 Habuisse eum uno tempore in potestate duos
imperatores, Poenum Romanumque. Sicut ab dis
immortalibus pars utraque hostiis mactandis pacem
petisset, ita ab eo utrimque pariter amicitiam petitam.
- 5 Iam tantas habuisse opes, ut Masinissam regno pulsum
eo redegerit ut vita eius fama mortis et latebris, ferarum
modo in silvis rapto viventis, tegeretur.

c. Syphax wordt voor Scipio geleid (30.13.8)

- 1 His sermonibus circumstantium celebratus rex in
praetorium ad Scipionem est perductus. Movit et
Scipionem cum fortuna pristina viri praesenti fortunae
conlata, tum recordatio hospitii dextraeque datae et
- 5 foederis publice ac privatim iuncti.

d. Syphax erkent zijn fouten (30.13.9-11)

- 1 Eadem haec et Syphaci animum dederunt in adloquendo
victore. Nam cum Scipio, quid sibi voluisset, quaereret,
qui non societatem solum abnuisset Romanam sed
ultro bellum intulisset, tum ille peccasse quidem sese
5 atque insanisse fatebatur, sed non tum demum, cum
arma adversus populum Romanum cepisset; exitum sui
furoris eum fuisse, non principium; tum se insanisse,
tum hospitia privata et publica foedera omnia ex animo
eiecisse, cum Carthaginiensem matronam domum
10 acceperit.

e. Door zijn huwelijk had hij zijn verstand verloren (30.13.12-14)

- 1 Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam;
illam furiam pestemque omnibus delenimentis animum
suum avertisse atque alienasse, nec conquiesse, donec
ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem
5 atque amicum induerit. Perdito tamen atque adflicto sibi
hoc in miseriis solacii esse, quod in omnium hominum
inimicissimi sibi domum ac penates eandem pestem
ac furiam transisse videat. Neque prudentiorem neque
constantiorem Masinissam quam Syphacem esse,
10 etiam iuventa incautiorem; certe stultius illum atque
intemperantius eam quam se duxisse.

3. SCIPIO HEEFT MOEITE MET WAT MASINISSA HEEFT GEDAAN (30.14-15)

a. Scipio is bezorgd over het huwelijk tussen Masinissa en Sophoniba (30.14.1-3)

- 1 Haec non hostili modo odio sed amoris etiam stimulis
amatam apud aemulum cernens cum dixisset, non
mediocri cura Scipionis animum pepulit; et fidem
criminibus raptae prope inter arma nuptiae neque
5 consulto neque expectato Laelio faciebant tamque
praeceps festinatio ut, quo die captam hostem vidisset,
eodem matrimonio iunctam acciperet et ad penates
hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Et eo foediora haec
videbantur Scipioni, quod ipsum in Hispania iuvenem
10 nullius forma pepulerat captivae.

b. Scipio neemt Masinissa apart (30.14.3-5)

- 1 Haec secum volutanti Laelius ac Masinissa
supervenerunt. Quos cum pariter ambo et benigno
vultu excepisset et egregiis laudibus frequenti praetorio
celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic
5 adloquitur: ‘Aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in
me bona et principio in Hispania ad iungendam mecum
amicitiam venisse et postea in Africa te ipsum spesque
omnes tuas in fidem meam commisisse. Atqui nulla
earum virtus est, propter quas tibi adpetendus visus sim,
10 qua ego aequae ac temperantiae et continentiae libidinum
gloriatum fuerim.

c. Masinissa had zelfbeheersing moeten tonen (30.14.6-8)

- 1 Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes,
Masinissa, adiecissem velim. Non est, non — mihi crede
— tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi
quantum ab circumfusiis undique voluptatibus. Qui eas
5 temperantia sua frenavit ac domuit, multo maius decus
maioresque victorias sibi peperit quam nos Syphace
victo habemus. Quae me absente strenue ac fortiter
fecisti, libenter et commemoravi et memini: cetera te
ipsum reputare tecum quam me dicente erubescere
10 malo.

d. Syphax en al zijn bezittingen behoren aan de Romeinen (30.14.8-11)

- 1 Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est.
Itaque ipse, coniunx, regnum, ager, oppida, homines
qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, praeda
populi Romani est; et regem coniugemque eius, etiamsi
5 non civis Carthaginienensis esset, etiamsi non patrem eius
imperatorem hostium videremus, Romam oporteret
mitti, ac senatus populi Romani de ea iudicium atque
arbitrium esse, quae regem socium nobis alienasse atque
in arma egisse praecipitem dicatur. Vince animum; cave
10 deformes multa bona uno vitio, et tot meritorum gratiam
maiore culpa quam causa culpae est, corrumpas.’

HOOFDSTUK 13 EPILOOG: HANNIBAL VERLAAT ITALIË (30.20)

a. Hannibal antwoordt de gezanten (30.20.1-4)

- 1 Frendens gemensque ac vix lacrimis temperans dicitur
legatorum verba audisse. Postquam edita sunt mandata,
‘Iam non perplexe’ inquit ‘sed palam revocant, qui
vetando supplementum et pecuniam mitti iam pridem
5 retrahebant. Vicit ergo Hannibalem non populus
Romanus totiens caesus fugatusque, sed senatus
Carthaginiensis obtrectatione atque invidia; neque hac
deformitate reditus mei tam P. Scipio exsultabit atque
efferet sese quam Hanno, qui domum nostram, quando
10 alia re non potuit, ruina Carthaginis oppressit.’

b. Hannibal verlaat Italië (30.20.5-6)

- 1 Iam hoc ipsum praesagiens animo praeparaverat ante
naves. Itaque inutili militum turba praesidii specie in
oppida Bruttii agri, quae pauca metu magis quam fide
continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat, in
5 Africam transvexit, multis Italici generis, quia in
Africam secuturos abnuentes concesserant in Iunonis
Laciniae delubrum inviolatum ad eam diem, in templo
ipso foede interfectis.

c. Hannibal vervloekt zichzelf (30.20.7-9)

- 1 Raro quemquam alium patriam exsilii causa
relinquentem tam maestum abisse ferunt, quam
Hannibalem hostium terra excedentem; respexisse
saepe Italiae litora, et deos hominesque accusantem
- 5 in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum, quod
non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam
duxisset; Scipionem ire ad Carthaginem ausum, qui
consul hostem Poenum in Italia non vidisset: se, centum
milibus armatorum ad Trasumennum ad Cannas caesis,
- 10 circa Casilinum Cumasque et Nolam consenuisse. Haec
accusans querensque ex diutina possessione Italiae est
detractus.